



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XLVII. Proponuntur argumenta contraria, & dissolvuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

cum imperfectione, quando oritur independenter à libito proprio; sic enim servus obligatur cum imperfectione iure domini, non verò dominus iure, quod ipsius libera promissione servus acquirit; sed obligatio Dei ponitur à nobis dependens à libito divino, quatenus ipse liberè voluit se ex sua promissione obligare; ergo &c.

## SECTIO XLVII.

Proponuntur argumenta contraria,  
& dissolvuntur.

999. **A**RGUES I. Non datur rigorosa iustitia commutativa, nisi ubi datur unus, & alius; siquidem defectu huius conditionis non datur talis iustitia inter patrem, & filium; neque inter dominum, & servum; quidquid enim habet filius, & servus, habet dependenter à patre, & domino; sed inter Deum, & hominem non datur unus, & alius cum perfectà altereitate; siquidem majori cum dependentià à Deo habet homo quidquid habet, quam filius à patre, & servus à domino; ergo &c. Respondeo negando minorem; datur enim inter Deum, & hominem unus, & alius cum perfecta altereitate secundum voluntates liberas, quod sufficit ad propriam iustitiam commutativam, supposità Dei promissione sub conditione operis, & ipso opere supposito.

1000. Patet in exemplis adductis, pater enim, & dominus, supposito pacto, & eorum promissione facta filio, & servo, possunt eis manere obligati ex propria iustitia commutativa, non obstante dependentià filii à patre, & servi à domino; ergo etiam sic poterit Deus homini obligari ex conventionione, & promissione ei à Deo factà. Confirmatur, quia Deus potest obligari creaturæ ex fidelitate, ut ipsi Adversarii affirmant, non obstante illius dependentià à Deo; ergo etiam sic poterit obligari ex iustitia, supposità illius promissione veluti onerosà, nempe *dabo, si feceris*.

1001. Instabis: Ideo dominus creatus (idemque de patre respectu filii), potest facta conventionione, obligari servo ex iustitia, quia servus solum talis est accidentaliter, sicque conventionione facta, potest desinere esse illius servus quoad aliquas actiones etiam ei aliunde debitas; sed hoc non potest accidere in homine respectu Dei; utpote qui essentialiter est eius servus in ordine ad omnes actiones, cum omnes sint ei debite; ergo &c. Respondeo negando maiorem; licet enim servus in creatis esset essentialiter talis, adhuc posset cum domino pacisci, ipso domino ita volente, & promittente stare conventionioni, ex qua resularet in domino sic volente se obligare propria, & stricta obligatio iustitiæ ad servum. Unde de facto ex illa servitute accidentali solum sequitur, dominium in domino creato esse imperfectum, tum quia non est dominus servi quoad vitam, & ejus membra: tum quia potest totaliter amitti, quod locum non habet in creatura respectu Dei.

1002. Argues 2. Si Deus posset ita homini obligari ex iustitia, sequeretur, non posse dare alteri rem illam, ad quam reddendam maneret sic obligatus; sed hoc valde minueret ejus perfectissimum dominium in creaturas; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam, neque illà admittà, supposità conventionione, & promissione Dei, sequitur minui, sed tantum ligari ejus dominium, in quo nulla datur repugnantia, aut imperfectio. Patet, quia dominium Dei,

est perfectissimum, posità illius promissione simplici, potest sic ligari ex fidelitate, ut ipsi Adversarii concedunt, absque ulla imperfectione; ergo etiam sine illa poterit ligari ex iustitia, posità promissione onerosà.

Instabis: Deus non potest se determinare ad producendam creaturam essentialiter æternam; siquidem illà productà, licet ex suppositione, non posset illam annihilare, sicque minueretur ejus dominium, extra quod maneret talis creatura; ergo etiam non poterit obligari ex iustitia dare rem aliquam creaturæ; siquidem posità tali obligatione, licet ex suppositione, non posset talem rem alteri donare, sicque maneret ejus dominium diminutum, & imperfectum. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex alibi dictis in *Metaph. tract. 8. d. 1. n. 119.* ex quo potius confirmatur, quam infirmatur doctrina à nobis tradita.

Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia creatura illa essentialiter æterna, cum ex sua essentia haberet in æternum durare, ex sua essentia esset independentis à Deo in suo esse, & conservari, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quæ ad rerum essentias nõ extenditur; hoc autem repugnat & perfectio Dei dominio, & imperfectioni naturæ creatæ, quæ est essentialiter ab alio, & potens deficere: at verò gloria data Petro v.g. ex iustitia, non manet ex se, & essentialiter non dabilis alteri, sed solum accidentaliter, & ab extrinseco ratione promissionis divinæ. Accedit, quod Deus promittit Petro sub conditione actus meritorii ut quatuor v.g. Visionem Beatam etiam ut quatuor absolute, & non determinatè quoad hos, aut illos quatuor gradus; sicque eisdem gradus numero potest, si velit, dare Paulo, aliosque Petro donare. Additur, eandem instantiam militare in re donata ex sola simplici promissione Dei, quam Contrarii admittunt non posse alteri donari ratione fidelitatis à Deo servandæ.

Argues 3. Majori vinculo translatus est jus creaturæ in Deum ratione subjectionis, quam Religiosi in religionem ratione voti paupertatis; sed Religiosus non potest sibi obligare religionem ex iustitia, etiam facta quacumque conventionione; neque Prælati potest se obligare subdito ad aliquid ei tribuendum irrevocabiliter, ut est communis sententia; ergo idem dicendum de creatura respectu Dei. Respondeo primò, argumentum, si valet, etiam probare, neque ex fidelitate posse Deum obligari creaturæ, ut Adversarii docent; siquidem neque sic juxta communem sententiam, potest Prælati obligari subdito ad aliquid ei dandum irrevocabiliter.

Respondeo secundò negando consequentiam; diversa ratio est, quia status religiosus, cum sit voluntarius, & dependens ab institutione, & acceptatione hominum, potuerunt homines eas clausulas ponere, sine quibus talis status non consisteret, & sic posterunt illam abdicacionem domini: ex hoc tamen non bene arguitur ad obligationem Dei respectu creaturæ, cui liberè voluit se obligare, posità ejus promissione, & conventionione. Additur, quod saltem Pontifex potest contractum illum efficere cum Religioso; siquidem solemnitas voti ab eo dependet; si autem id non potest Prælati inferior, ideo est, quia ejus potestas est limitata, & subordinata Pontifici; ergo etiam confirmatur potius quam infirmatur tradita doctrina, ut consideranti patebit.

Argues 4. Si Deus posset ex iustitia obligari, sequeretur, non manere perfectissimum rerum

omnium Dominum; sed hoc non est admittendum; ergo neque illud, ex quo sequitur. Probat major primò, quia dominium perfectissimum consistit in potestate morali utendi re suâ in ordine ad omnem usum sine injuria alterius; sed Deus non possit ita uti re illa, eam homini negando, ei enim injuriam faceret, & injustitiam committeret; ergo &c. Secundò, quia eâ tantum de causâ non dicitur perfectè dominus, neque qui habet dominium directum, aut utile ad certos usus; neque Princeps, aut Respublica habens solum dominium alium in bona subditorum, de quibus non potest disponere, nisi in publica necessitate, aut utilitate; ergo &c.

1008. Respondeo negando majorem, ad cujus primam probationem dicimus, Deum adhuc manere cum perfectissimo dominio, & potestate morali in actu primo, licet ligatâ, & impeditâ ad actum secundum ratione promissionis, & pacti cum homine facti, quod nullam dicit imperfectionem. Patet, quia si Deus suo decreto absoluto statueret, ut potest, non uti re aliqua ad aliquem certum usum; aut hoc promitteret homini promissione simplici, non possit Deus uti re illa ad talem usum; & tamen adhuc retineret perfectissimum illius dominium in actu primo, licet impeditum, & ligatum ex suâ libera voluntate, quod tollit omnem imperfectionem; ergo &c. Ad secundam probationem dicimus, in illis exemplis non dari dominium absolutum, quod sit impeditum ex aliqua circumstantia, sicut datur in Deo, sed dari dominium absolutè, & ex se limitatum, ac determinatum ad certos usus.

1009. Argues 5. Implicat dari in eodem instanti apud duos dominium in solidum ad eandem rem; alioqui posset quilibet eorum uti tali re, altero invito; ac proinde dari bellum justum ex utraque parte, quod repugnat; atqui si Deus posset obligari creaturæ ex justitia, daretur tale dominium in Deo simul, & creaturæ; siquidem Deus, eum sit essentialiter dominus omnium rerum, non potest à se abdicare dominium alicujus rei; alioqui posset à se abdicare, quod est sibi essentialiter; & creaturæ etiam haberet jus ad talem rem, ut supponitur; ergo &c. Respondeo negando majorem; nam in instanti, in quo quis donat rem alteri, datur dominium illius rei in donante simul, & in accipiente; in donante, quia in illo instanti dat; nemo autem dat, quod non habet: in accipiente, quia in eodem instanti rem accipit ut suam.

1010. Unde non implicat, quod Deus conservet dominium in re aliqua, etiam postquam creatura acquirit jus ad illam: maximè cum jura illa sint diversi ordinis; siquidem jus Dei est universale, & supremum fundatum in titulo creationis; & jus creaturæ est particulare fundatum in promissione Dei onerosa; jus autem universale, & particulare non se impediunt. Patet in Principe creato, qui non amittit jus altum, & universale in rem aliquam, etiam postquam ex justitia illam dat subdito, & hic acquirit jus particulare ad illam. Addo, quando Deus rem donat ex justitia, non solum conservare dominium illius in eodem instanti, sed etiam per totam æternitatem; siquidem actus divinus cum sit idem indivisibiliter respondens toti æternitati, semel quod Deus in primo instanti est Dominus rei, etiam talis erit pro tota æternitate, licet ejus dominium post donationem factam maneat ligatum, & impeditum ratione suæ promissionis.

1011. Neque ex hoc sequitur dari bellum justum ex utraque parte; siquidem ad hoc necessarium erat,

ut qui rem dat Petro, possit simul in eodem instanti in sensu composito uti licitè re illa contra voluntatem ipsius Petri, quod quidem nequit efficere, licet ita possit in sensu diviso; nam ut sic ita rem dat, ut possit non dare; ac proinde potest in sensu diviso licitè illà uti invito Petro, quod sufficit, ut dicatur habere in illo instanti dominium talis rei. Quando autem Juristæ docent, non posse dari simul in duobus dominium in solidum circa eandem rem, non loquuntur metaphysicè, & in ordine ad idem instans, sed moraliter, & in ordine ad tempus notabile, quod est verum inter personas privatas.

Instabis 1. Dominium, quod habet donans in re aliqua, statim perit post illius donationem; ergo etiam peribit in ipso instanti donationis. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dominium consistit in potestate morali utendi re propria; hanc autem potestatem non habet donans post instanti donationis, ut patet; habet verò in ipso instanti; licitè enim eâ utitur donando. Patet in physicis, nam in eodem instanti, in quo res est, non potest perire, quia in eo instanti non potest non esse, postea tamen potest perire, quia potest non esse, si à Deo, vel ab alio destruat.

Instabis 2. Si in eodem instanti donationis maneret dominium rei donatæ in donante simul, & in accipiente, sequeretur, ita manere in domino simul & in servo in eodem instanti, quo dominus manumittit servum; sed hoc non est dicendum; alioqui servus diceretur simul liber, & servus, ligatus, & solutus; ligatus ratione domini existentis in domino ad servum; solutus ratione libertatis existentis in ipso servo; ergo &c. Respondeo negando minorem; nullum enim est inconveniens, quod servus in instanti manumissionis dicatur simul ligatus extrinsecè per dominium existens in domino, & solutus per libertatem, quam jam in se habet. Non poterit tamen dici ligatus, & non ligatus; solutus, & non solutus; siquidem hæc pugnant contradictoriè.

Inferes: Ergo etiam poenitens in eodem instanti contritionis poterit dici ligatus per peccatum, & solutus per gratiam. Respondeo negando illationem; nam poenitens ligatur per peccatum, & solvitur per gratiam; gratia autem, & peccatum non possunt esse simul, saltem de potentia ordinariâ; sicut simul esse non possunt alia contraria.

Instabis 3. Ideò donatarius in eodem instanti donationis acciperet dominium ad rem donatam, quia acciperet facultatem disponendi de illa pro suo libitu; sed hoc non sufficit; siquidem Fratres Minores non habent dominium rei donatæ, sed solum usum revocabilem, cum dominium sit apud Pontificem; & tamen accipiunt facultatem disponendi pro libitu de tali re; ergo &c. Respondeo donatarius non ideo accipere dominium, quia accipit facultatem disponendi utcumque, sed quia illam accipit absolutam, & irrevocabilem, qualem non accipiunt Fratres Minores, ideoque in illis talis facultas non est dominium, sed licentia. Neque obstat, quod possint vendere rem donatam, & transferre ejus dominium in emptorem; siquidem id non faciunt suo nomine, sed nomine Pontificis penes quem est dominium, & potestas transferendi illud, qui dans licentiam alienandi, etiam illam dat ad transferendum dominium.

Argues 6. Si Deus ex aliquo pacto cum hominibus inito posset eis obligari ex justitia, posset fieri eorum servus; siquidem per pactum, & veluti contractum onerosum, posset eis promittere omnes

itas actiones, ita ut ex iustitia teneretur in omnibus obedire ipsis hominibus; nam si in uno, etiam in omnibus poterit hominibus obligari, in quo consistit propria servitus; sed hoc non est admittendum; ergo &c. Respondeo primò negando majorem; quis enim ex eo, quod Rex militi, aut servo stipendium ex iustitia solvere teneatur, dicitur eum servi, aut militis fieri servum? Ad probationem dicimus, non posse Deum se homini obstringere quoad omnes actiones, si ex eo sequatur manere hominis servum; hoc enim esset indecens; hæc tamen indecentia non sequitur ex eo, quòd se ad præmium, & mercedem homini pro suis meritis reddendum obliget, imò de facto se obligaverit; licet enim Rex possit se alteri obstringere ad præmium ei donandum ob strenuè in bello gesta, majestatem tamen Regiam non decet, ut ad vilia quavis, & mancipiorum propria obsequia se obliget, tantum enim hæc Regem dedecet, quantum illa decet.

1017. Respondeo secundò negando eandem majorem, ad cujus probationem dicimus, servitutum non dicere solum debitum omnium actionum, (dato quod Deus quoad omnes posset se hominibus obligare,) sed etiam alias imperfectiones, nempe quod servus non sit tantà veneratione dignus, ac est dominus; quod debeat à domino sustentari; ab eo puniri; reprehendi; in civilibus occupari &c. quæ omnia Deum dedecet: undè ex eo, quod Deus possit promittere hominibus aliquas actiones, non sequitur posse illas promittere, quæ eum dedecet, ut patet in Principe creato respectu suorum subditorum, & proximè diximus. Accedit, quòd idem argumentum fieri potest contra Adversarios, quatenus admittunt, posse Deum sic obligari hominibus ex fidelitate. Imò de facto obligatur ut Author naturæ ad concurrendum nobiscum ad omnes nostras actiones, etiam vilissimas, quin ex eo fiat noster servus.

1018. Argues 7. Iustitia commutativa in rebus tantum utilibus versatur, nempe in iis, quæ subsidium indigentis, aut potentis indigere connotant, ut ait Arist. lib. 5. Ethicor. cap. 2. ubi materiam iustitiæ commutativæ peculiariter ait esse pecuniam, & id genus alia. Quæ etiam videtur mens D. Thom. 1. 2. q. 21. art. 1. dum negat in Deo esse iustitiam commutativam; sed Deus rebus istis utilibus non indiget; ergo &c. Respondeo Aristotelem eodem loco negare, esse in Deo liberalitatem, & misericordiam, cum tamen has virtutes admittant omnes in Deo. Undè Aristoteles, (idemque D. Thom.) non loquitur de iustitiâ secundum rationem illius abstractam, & essentialem, sed prout ad pecuniam, & res materiales contrahitur, & versatur in commerciis, & contractibus humanis, ordinaturque ad indigentiam, vel actualem, vel possibilem in contrahentibus sublevandam, qua ratione nos etiam illam in Deo prout sic admittimus.

1019. Argues 8. Ut homo posset Deum obligare ex iustitia commutativa, opus erat, quod posset aliquid facere in ejus utilitatem; siquidem iustitia commutativa ad res tantum utiles extenditur; sed creatura non potest quidquam agere, aut pati, quod Deo utile sit, juxta illud Luc. 17. *Servi inutilis sumus.* Et Job 22. *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut si fuerit immaculata vita tua?* Et cap. 35. 7. *Si jussegeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* ergo &c. Respondeo primò negando absolute majorem, & ejus probationem, licet enim materia iustitiæ in humanis, semper sit aliquod bonum utile, non ita tamen in materia iustitiæ, prout abstrahit ab humana, & divina, ut diximus; ad hæc

enim fati est, quod sit bonum placens ei, cui exhibetur. Confirmatur, quia in sententia Adversariorum, ut Deus obligetur ex fidelitate, aut gratitudine, non requiritur opus Deo utile.

Respondeo secundò negando eandem majorem, & ejus probationem; latius enim patet materia iustitiæ, quàm ad res utiles; nam etiam inter homines dicunt multi, stipendium frequenter ob rem nullius utilitatis ex iustitia solvi, ut si quis venenum emat, ut eo abutatur in malum finem; aut alteri det stipendium, ut mutilet, aut occidat amicum innocentem. Dicent primò, id esse aliquo modo utile, quatenus in eo expletur ejus voluntas. Sed contra, quia eadem etiam ratione expletur voluntas Dei per actiones honestas; sicque hæc eodem modo potest dici Deo utiles.

Dicent secundò, prædictum opus, occidendi scilicet amicum innocentem, esse per se utile, & mercede dignum; per accidens autem solum, quod hic, & nunc non sit utile. Sed contra: ergo sicut in his circumstantiis per accidens non est utile, ita etiam per accidens non merebitur mercedem; consequenterque per accidens non erit contractus iustitiæ; si ad illam requiritur utilitas, ut intendit argumentum; ergo sufficit ad contractum ex iustitia, ut fiat aliquid in obsequium, vel honorem alterius, cum hæc sint æstimatione digna, & bona saltem extrinseca. Undè ad argumentum:

Respondeo tertio, data majori, & ejus probatione, negando minorem; licet enim nostra bona opera non afferant Deo aliquam utilitatem intrinsecam, (de qua intelligenda sunt adducta testimonia,) afferunt tamen extrinsecam, & accidentalem, quatenus ei addunt honorem extrinsecum, quem antea non habebat; & hoc sufficit ad veram iustitiam; sic enim ipse honor extrinsecus ablati ab ipso Deo per peccatum sufficit ad veram injustitiam committendam contra ipsum Deum.

Instabis: Materia iustitiæ est datum, & acceptum; sed id inter Deum, & hominem, aut aliam creaturam rationalem, non intervenit; siquidem Deus ab illis nihil accipit, ut patet ex locis Scripturæ proximè citatis; ergo &c. Respondeo negando absolute majorem, quæ neque in humanis est universaliter vera; siquidem homines non solum contrahunt, *do, ut des*, sed etiam, *do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias*; in quo ultimo, nihil propriè datur, neque ex una, neque ex altera parte, sed solum fit aliquid ex pacto in gratiam alterius. Undè ad rationem meriti, (ac etiam iustitiæ, quæ in illo fundatur,) inter Deum, & hominem, sufficit, ut aliquid ei offeratur, quod in illius honorem cedat, licet nulla inde ei proveniat utilitas, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 1. ad 2.

Argues 9. Nemo potest obligari ex iustitia per acceptationem eorum, quæ magis sunt sua, quàm offerentis; sed Deus est perfectissimus Dominus omnium nostrarum actionum, cui omnes sunt debite; ergo non potest per illas nobis obligari ex iustitia. Resp. nos dare Deo aliquid verè nostrum, imò ita nostrum, ut nisi nobis consentientibus, Deus illud nunquam habere potuisset; hæc enim est natura actus liberi, ut quamvis omnia in actu primo ad illum efficiendum necessaria, à Deo ponantur, in elicientis tamen potestate sit illum efficere, aut non efficere, atque sub dominio Dei illum in actu secundo constituere; & in hoc sensu dat aliquid Deo, id est, ponit sub dominio Dei, quod potuit non ponere, & aliquid in ejus obsequium facit, quod penes ipsum erat non facere; hoc autem est pretio æstimabile; ac proinde si ut sufficit

ad meritum, ut omnes docent, ita etiam sufficit ad inducendam obligationem ex contractu iustitiæ inter hominem, & Deum interveniente ejus promissione, & pacto. Ita *D. Thom. in 4. dist. 15. art. 1. ad 2.*

1025. Argues 10. Ut Deus obligetur creaturæ ex iustitia ratione sup. promissionis, requiritur promissio acceptata ab ipsa creatura; sed multi homines ignorant talem promissionem; sicque videntur illam non acceptare; ergo &c. Respon. primò negando minorem; hæc enim promissio divina omnibus ex fide operantibus, saltem virtualiter innotescit, ut constat ex illo ad Hebr. II. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus eum remunerator sit.* Respondeo secundò, ad hoc ut homines habeant jus in hanc promissionem divinam, sive in gloriam ex facta promissione, satis esse, quod illa facta fuerit Adamo, & ab eo acceptata ut à capite morali totius generis humani, & illius nomine.

1026. Argues 11. Si Deus possit homini obligari ex iustitia, possit etiam contra illam peccare, & injustitiam committere, si rem promissam negaret; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. Respondeo Deum non posse negare rem promissam, si impleatur conditio; si autem per impossibile illam negaret, peccaret contra iustitiam, quod dicere, nullum est absurdum: tum quia illam negare, est impossibile: tum quia admisso uno impossibili, novum non est aliud admittere, quod ex illo sequatur: tum etiam, quia in sententia Adversariorum, si Deus non staret promissis, peccaret peccato infidelitatis; ergo etiam in nostra possemus dicere, quod si non staret promissis, peccaret peccato injustitiæ.

1027. Argues 12. Creaturæ ad Deum non potest esse iustitia, neque injustitia; siquidem creatura neque potest Deo exhibere æquale pro eo, quod ei debet, neque quidquam incommodum, aut malum præstare; ergo neque potest esse iustitia Dei ad creaturam; siquidem eadem est ratio hominis ad Deum, ac Dei ad homines. Respondeo primò negando antecedens, ut ex infra dicendis constabit. Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est: Primò, quia Deus reddens plus, quàm debetur ex vi contractus, satisfacit perfectissimè iustitiæ, ut patet: at verò homo reddens minus, quàm debet, etiam si non possit amplius, potest definire à perfecta ratione iustitiæ, ut supponit argumentum. Secundò, quia Deus potest hominibus conferre plura bona, & commoda, & ad illa reddenda obligari ex sua promissione ex iustitia: at verò homo non potest Deo aliquid incommodum, & malum præstare, sicque injustitiam committere.

1028. Argues 13. Deus præmiat nostra merita ultra condignum, ut docent communiter Theologi; ergo præmiat ex liberalitate, & non ex iustitia. Confirmatur, quia inter merita, & gloriam æternam non datur æqualitas, cum magnus sit excessus, quo præmium superat meritum juxta illud Rom. 8. 18. *Non sunt condigna passiones, &c.* Respondeo primò negando antecedens, ut constabit ex infra dicendis. Respondeo secundò, Deum præmiare ultra condignitatem absolutam operum secundum se: non verò ultra condignitatem proportionis, & respectivam convenientem ex magnitudine, & promissione retribuentis, quæ sufficit ad æqualitatem iustitiæ. Undè constat quid dicendum sit ad confirmationem.

1029. Respondeo tertio negando consequentiam quoad secundam partem; licet enim Deus præmiat

ultra condignum quoad aliquos gradus gloriæ, & ipsius durationem, non ita verò quoad omnes iudicio, licet aliquos conferat ex liberalitate, alios etiam conferat ex iustitia. Patet, quia Princeps dexterius certanti promittens 20. aureos, & conferens 30. auget quidem præmium liberaliter ultra condignum; & tamen 20. confert ex iustitia. Accedit, hoc argumentum ad plurimum probare, non existere actum in Deo exercitium iustitiæ; non autem illud esse impossibile.

Argues 14. Iustus meretur gloriam de condigno non solum per opera consilii, sed etiam præcepti; atqui opera præcepta non obligant Deum ex iustitia; siquidem huiusmodi opera nullo jure sunt domini hominis operantis; sed Dei præcipientis; Deus enim illa exigens non credit juri, quo illa tanquam sibi debita postulat; ergo Deus illa saltem remunerans non obligatur ex iustitia, tanquam recipiens obsequia verè nostra; siquidem ad id necessarium erat, ut ea nostro juri, & dominio relinquere. Respondeo negando minorem; nam etiam per opera præcepta meremur ex iustitia gloriam; siquidem Deus illa non exigit, tanquam Dominus proprietatis, sed tanquam Dominus jurisdictionis; ac proinde relinquit illa dominio, & juri proprietatis creaturæ, ut ea verè possit, si velit, etiam moraliter Deo dare.

Instabis: Opera servi in creatis à Domino præcepta non relinquuntur ipsius dominio, neque sunt apta ad obligandum dominum ex iustitia; ergo idem de homine respectu Dei. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia in creatis Dominus exigit à servo opera præcepta tanquam Dominus proprietatis, & non jurisdictionis; Deus autem è contra tanquam dominus jurisdictionis, & non proprietatis, ut diximus: Si tamen dominus simul cum dominio proprietatis, habeat etiam jurisdictionem in opera servi; poterit servus, relicto sibi dominio proprietatis, obligare dominum per opera præcepta solum tanquam à domino jurisdictionis; sicut alii, qui servi non sunt, possunt apud eum mereri, & cum ex iustitia obligare; & sic poterit eum obligare, & apud eum mereri per opera labore extraordinario, aut industria facta.

Argues 15. Ad iustitiam commutativam requiritur æqualitas arithmetica, & rei ad rem; sed talis non est, quæ datur inter meritum, & præmium iustorum; siquidem hoc valde illud excedit; ergo Deus non remunerat merita iustorum ex iustitia commutativa. Respondeo primò, argumentum non improbare capacitatem iustitiæ commutativæ in Deo, sed usum, & exercitium actuale per iustitiam remunerativam; siquidem Deus potuit dare præmium iustorum meritis superans eorum valorem, illi tamen æquale, sicque ex iustitia commutativa.

Respondeo secundò negando minorem; potest enim præmium superans valorem esse materia iustitiæ commutativæ quoad pretium meritis æquale, licet non sit quoad excessum; sic enim debens viginti aureos, & solvens triginta exercet actum commutativæ quoad solutionem debito æqualem. Additur, æqualitatem arithmeticam non esse solum inter meritum, & præmium datum, & acceptum, sed etiam inter jus contractum, & præmium redditum; undè licet præmium excedat arithmetice meritum absolute consideratum, potest non ita excedere jus ex promissione, & pacto acquisitum, quia illud est ad totum præmium, licet arithmetice excedens meritum absolutum. Patet, quia

quia Deus, imò & Princeps, potuit ex sua promissione, & pacto obligari ad tantum præmium, atenta magnitudine, & majestate sua; sed tunc reddendo hujusmodi præmium exercebit justitiam commutativam per æqualitatem arithmeticam præmii, & juris alteri obvenientis ex ejus promissione, & pacto, licet non servetur æqualitas arithmetica præmii cum merito absolute considerato; ergo &c.

1034. Dixi cum merito absolute considerato, siquidem cum merito prout complectitur in actu secundo jus ad præmium, & prout vestitur circumstantiis promissionis, & conventionis à Deo factæ, etiam datur æqualitas præmii arithmetica; nam meritum prout sic æstimatum tantum valet moraliter, quantum est præmium; siquidem prout sic comprehendit jus ad totum præmium.

1035. Argues 16. Quando inter duos intercedit justitia commutativa, qui alteri aliquid tribuit, aliquid amittit, estque contrapassum; sed Deus nihil potest amittere; siquidem licet nobis aliquid tribuat, semper illius dominium retinet; ergo inter Deum, & hominem nequit dari justitia commutativa. Respondeo cum P. Soar. Opuscul. de Just. Dei, sect. 1. num. 12. & P. Granad. cit. tract. 7. d. 4. num. 21. id solum inveniri in dominio creato, & limitato; non tamen esse præcisè necessarium ad rationem justitiæ commutativæ, ad quam solum requiritur, ut detur æquivalens pro re accepta, licet hæc adhuc maneat sub dominio donantis. Addit tamen P. Granad. cit. Deum, dum præmium tribuit, aliquo modo secundum quid, & virtualiter amittere ejus dominium; siquidem postea ejus promissione, & opere expleto, non potest non tribuere gloriam; sicque in actu justitiæ inter Deum, & hominem datur aliquo modo contra passum.

1036. Argues 17. Deus non solum est Dominus creaturæ rationalis, & gloriæ tribuendæ, sed etiam juris, quod ad illam habet ipsa creatura; ergo hoc jus est jus Dei; ergo per illud non potest Deus obligari ex justitia; alioqui haberet jus contra seipsum. Respondeo distinguendo primam consequentiam; hoc jus est jus Dei, ut quod; concedo consequentiam: ut quo; nego consequentiam; sic enim nostra intellectio, amor, & meritum sunt talia Dei ut quod, id est creaturæ ipsius, sive res ab eo productæ; non tamen sunt Dei ut quo, ita ut eum denominent intelligentem, amantem, & merentem; sic enim solum denominant creaturam, cujus sunt intellectio, amor, & meritum. Cum igitur creatura hujus meriti, & juris ad gloriam dominium habeat, eaque ut verè sit possideat, inter ipsam, & Deum potest justitiæ pactum intercedere.

1037. Argues 18. Si obligatio justitiæ posset in Deum cadere, deberet ex aliqua lege provenire; sed Deus nullius legis obligantis est capax; ergo neque obligationis justitiæ. Respondeo distinguendo majorem; deberet ex aliqua lege intrinseca provenire; concedo majorem: extrinseca; nego majorem: proveniret enim ab intrinseca suæ voluntatis rectitudine, quæ per se est determinata ad honestum: sicut ab eadem intrinseca rectitudine oritur debitum veritatis, ut quodcumque loquitur, vera loquatur, quod non habet Deus ab aliqua lege extrinseca ab alio sibi imposita, cujus est incapax, cum sit omnium supremus Dominus, sed à se ipso, & ab intrinseco.

1038. Argues 19. Si Deus posset homini obligari ex justitia ad dandam gloriam, non posset homini negare illam; sed hoc non est dicendum; siquidem enim Deus semel habuerit jus ad illam negan-

dam, si eam non habeat, aliquid domini sui perdidit; ergo &c. Respondeo negando minorem, cujus probatio non convincit, sicut etiam non convincit, si dicas: semel potuit Deus producere durationem hesternam, nempe heri; sed hodie non potest; ergo aliquid perdidit suæ potentia. Unde ad argumentum.

Respondeo. Deum nihil perdere potentia suæ, 1039. sive physica, sive moralis, sed sicut nunquam habuit potentiam producendi hodie, & in sensu composito, durationem hesternam, sive eam conjungendi cum hodierno die, ita nunquam habuit jus ad gloriam denegandam in sensu composito suæ promissionis, & operis expleti, seu meritorum; siquidem hoc non est minus impossibile, quam producere hodie hesternam, aut crastinam durationem. Unde licet duratio hesternæ, & negatio gloriæ sint simpliciter possibiles; in his tamen circumstantiis utraque est eodem modo impossibilis.

Inhabis: Negare gloriam Petro, est obiectum simpliciter possibile. & solum per accidens impossibile; ergo debet cadere sub dominio Dei; alioqui non erit perfectissimum. Respondeo negando consequentiam, & ejus probationem; negatio enim gloriæ, (sicut etiam productio durationis hesternæ, aut creaturæ ab æterno,) licet in sensu diviso sit possibilis; in sensu tamen composito est impossibilis, ut diximus; dominium autem Dei, sicut & illius potentia non extenditur ad impossibilia.

Inferes 1. Ergo Deus potest à se abdicare dominium univerti. Respondeo concedendo illationem, si per abdicationem domini nihil aliud intelligatur, quam quod Deus se obliget ad mundum aliquem creandum ex pacto cum homine ob opus condignum inito, non enim apparet, cur de hoc non possit Deus cum homine prout sic pacisci, cum ita pacisci possit de uno gradu gratiæ, & gloriæ, qui multo majoris valoris, & æstimationis moralis est, quam mille mundi. Hæc tamen locutio est impropria; Deus enim nullum perdit dominium in mundum, quod unquam habuit; ut jam diximus; nam licet posito pacto, non possit non mundum creare, cum ejus non creatio in his circumstantiis sit impossibilis, posset tamen varios actus circa illum exercere, nempe cogere hominem illum ad utendum omnibus illis rebus ad finem honestum, ejus honorem, cum quidquid facit, aut dat Deus ad honorem suum faciat, & det.

Inferes 2. Ergo sicut Deus concedit creaturæ jus, & dominium proprietatis in seipsum, poterit etiam ei concedere jus, & dominium jurisdictionis. Respondeo negando illationem; diversa ratio est: Primò, quia in Scripturis nihil est frequentius, quam in Deo esse justitiam: obedientia autem in Deo nullum est in Scripturis vestigium. Unde illud Josuè 10. 14. *Obediente Domino voci hominis*: intelligendum est metaphoricè, ut omnes affirmant. Secundò, quia Sancti Patres unanimi consensu justitiam in Deo admittunt: obedientiam verò negant. Tertiò, quia Deus potest imò de facto promissit mercedem, pactumque inivit, & contractum cum hominibus: non tamen promissit, neque potest promittere actus obedientiæ: hæc enim dicit ordinem ad superiorem, quem Deus non habet, neque habere potest, cum sit omnium supremus. Quartò, quia indecorum, & absonum est, ut creatura imperium habeat, & cum autoritate præsit Deo; quod Deus creaturam ut superiorem suam veneretur, ei que honorem & obsequium exhibere teneatur, quod cum obedientia connectitur, ut

docet D. Thom. 2. 2. quest. 104. art. 3. & 4. nihil autem indecorum continet, imò maximè Deum decet, quod Deus ut iustus iudex mercedem, quam ex pacto bene operantibus promissit, reddat, & largiatur.

1043. Dices: Per jus adversus alterum, quod quis habet, fit aliquo modo superior ei, qui illi obligatur; sed homo habet huiusmodi jus in Deum; ergo &c. Respondeo primò negando maiorem; nullus enim dicit, hanc esse veram superioritatem, sed solum posse cum cogere per leges, ut debito satisfaciatur. Respondeo negando minorem: neque enim hæc superioritas reperitur in iure, quod homo habet respectu Dei, qui ad pactam mercedem solvendam determinatur essentialiter ex re- ctitudine intrinseca suæ voluntatis, ita tamen, ut si per impossibile non solveret, à nullo cogi posset, neque læsus homo posset ad alium provocare, quàm ad ipsam Dei iustitiam.

1044. Argues 20. Autoritate Sanctorum Patrum, plures enim videntur affirmare, non dari in Deo iustitiam erga hominem. Sic D. Bernard. serm. 1. de Annunciat. *Ne talia, inquit, sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex iure, aut propterea Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Et D. Anselm. in Prolog. cap. 10. *Iustus es, ait, non quia reddis nobis debita, sed quia facis quod te decet.* Et D. Aug. lib. 1. Confess. cap. 4. *Reddis debita, nulli debens.* Et lib. 3. de libert. arbitr. cap. 16. *Quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum posscas? & alia similia apud Patres reperiuntur; ergo &c.*

1045. Respondeo Sanctos Patres contrarium asserere, ut vidimus, num. 986. unde ad hæc & similia testimonia, si quæ sint, dicimus, intelligenda esse: Primò, quod Deus merita ipsa nobis donaverit, per quæ jus ad gloriam acquirimus; sicque totum jus nostrum quasi ex radice procedere ex ejus benignitate, & misericordia; hoc autem non impedit quominus Deus nobis ex iustitia obligetur, ut patet ex dictis, & in hoc sensu loquitur D. Aug. lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 6. *Cui, inquit, redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater.* Secundò, quod Deus potuerit absolute non promittere, & prout sic dicunt jus nostrum in sola Dei misericordia fundari: unde D. Bernard. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. *Promissum quidem, ait, ex misericordia, sed ex iustitia persolvendum.* Tertio, loqui de nostris operibus merè secundum se, & non ut informati à gratiâ habituali; de quibus ad Roman. 8. 18. *Non sunt condigna. &c.*

1046. Solent hic aliquifusè disputare: Utrum omnes conditiones requisitæ ad rigorosam iustitiam inter Deum, & hominem, hæc reperiantur? Utrum sicut datur Dei ad hominem, ita vicissim detur hominis ad Deum iustitia? Quia tamen proprius primæ difficultatis locus est in tertiâ parte, ubi agitur de satisfactione Christi Domini: secundæ autem locus est in materia de Pœnitentiâ, ubi inquiritur: An peccatum præter alias malitias, quas in se continet, sit etiam injuria stricta contra Deum? ideo earum resolutionem ad ea loca relinquimus, si fortè antea nobis occasio non occurrat ad illas tractandas.

## DISPUTATIO III. De Augmento meriti de Condigno.

### SECTIO I.

#### De Augmento meriti proveniente ex parte personæ merentis.



**C**ERTUM imprimis est in actu augeri posse meritum condignum ex augmento conditionum, quas ad tale meritum diximus necessarias; siquidem cum ex ipsis conditionibus infurgat valor operum ad meritum, ex ipsarum augmento augeri etiam potest operum valor, consequenterque eorum meritum condignum. Undè quod actus, cæteris paribus, habuerit plures circumstantias augentes bonitatem, si ve intra eandem, si ve secundum diversam speciem, eò erit magis meritorius, ut latè probat P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 20.

Certum hinc est secundò, quod actus fuerit magis liber, & nobilior, eò cæteris paribus fore magis meritorius; siquidem libertas est fundamentum laudabilitatis, & meriti; & actus nobilior est obsequium magis placens Deo. Certum etiam est tertio, actum virtutis inferioris ex eo, quod imperetur ab actu virtutis superioris, non augeri in merito: tum quia sicut hoc imperium non potest efficere, quod actus imperatus, si sit naturalis, sit meritorius de condigno; neque requiritur ad hoc, ut sit condignè meritorius, si sit supernaturalis, ita etiam efficere non potest, ut sit magis meritorius: tum etiam, quia cum non semel huiusmodi imperium minuat, aut omninò tollat rationem liberi in actu imperato, etiam minuet, aut omninò tollet rationem meriti. Certum denique est, meritum operum, & eorum valorem non augeri ex promissione, & acceptance divina, ut patet ex supra dictis d. 2. Undè solum nobis superest examinare: utrum, & ex quibus principiis iustorum opera mereantur augmentum gratiæ, & gloriæ. His positis.

Dico I. Homo iustus per opera supernaturalia mereatur de condigno augmentum gratiæ iustificationis. Ita omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 3. & cum Magist. in 3. dist. 27. & 28. Probatur primò autoritate Scripturæ ad Rom. 6. *Exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Et subdit: *Liberati à peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam:* Ubi appellat sanctificationem, augmentum gratiæ, & docet esse fructum operum iusti. Et 2. Cor. 9. ubi tradit per opera misericordiæ *Augere Deum incrementa frugum iustitiæ nostræ.* Et Eccles. 19. *Ne verearis usque ad mortem iustificari: id est in gratia progredi, & augeri.* Et Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, id est in gratia crescat; ergo &c.*

Probatur secundò autoritate Concilior. Trid. sess. 6. can. 32. ibi: *Iustificatum, inquit, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & per JESU Christi meritum sunt, verè mereri augmentum gratiæ.* Et Mogunt.